poterit afferre? Non n. solum Filij Dei Nutritor
extitit, et omnia quæ Nutritoris sunt, perfecit, sed
et incomprehensibili dignitate, eiusdem Pa-
ter nuncupatus est. Quamquam summus Coelestis
Pater maximæ liberalitatis sit ac munificen-
tiæ sit (quis n. ad eum unquam accessit, et eum re-
pulsa recessit? quis non semper plus quam optavit, re-
portavit, imò plus quam speravit, nedum quam petijt
obtinuit?) nihilominus hunc honorem nulli alteri præ-
terquam S. Josepho dare voluit, cui nomen Filij
proprium nomen sui: Patris ita communicavit, ut
non solum à Judaico Populo, sed et à sacris Evangelij
scriptoribus imò et ipsa Dei Matre Pater Dei
fuerit appellatus. Titulus iste dictu quidem par-
vus, Maiestate verò immensus, cito pronunciari po-
test, satis verò considerari nunquam potest. Nam quid subli-
mius, quid excellentius aut gloriosius Divo Josepho
ab immensa Dei bonitate unquam potuisset
conferri, quam ut Pater Dei nominaretur!
Sic Syllam Faelicem Roma prædicat, decursus
vitæ suæ felicissimus confirmat. quid felicius.
Triumphi singulares Pompeium Magnum appella-
runt. nil hoc Maius. Ob sententias suas subli-
mes, Plato, Divinus es nominatus. Vox, fateor,

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%2068r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%2068r)